DE

[Q]UIBUSDAM POLITICORUM ARISTOTELIORUM LOCIS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
[A]UCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
[A]LMA LITTERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT
ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
[D]IE X. MENSIS MAII ANNI MDCCCLXVII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

EWALDUS BOECKER,
RHENANUS.

ADVERSARII ERUNT:
F. SCHLIEP, CAND. PHIL.
G. HAAG, CAND. PHIL.
C. HAHN, CAND. PHIL.

GRYPHISWALDIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE REG. ACAD. TYPOGR.
MDCCCLXVII.

FRANCISCO SUSEMIHLIO

PRAECEPTORI SUO

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

Aristotelis libri Politici ut apud ueteres immerito neglecti, sic etiam a recentioribus haudquaquam adhuc eo studio eaque cura pertractati sunt, quibus sunt dignissimi quibusque maxime egent. Adhuc enim ne controuersia quidem illa de librorum ordine satis est diiudicata; adhuc ne optimi quidem libri manuscripti neque uetus Guilelmi uersio latina eis omnibus facile praestantior satis sunt collata; adhuc nulla extat editio, quae multas illas summasque huius operis difficultates satis expediat. Nuper demum nonnulli uiri docti, in his Bojesenus, Rassovius, Thurotus, Hampkius inque primis praeceptor noster illustrissimus Susemihlius maiore studio et opera in Politicorum uersati sunt interpretatione.

Hoc tamen iam hodie inter omnes constare uidetur, libros Politicos non solum non integros esse, sed etiam eas partes, quae extant, nequaquam adeo limatas correctasque fuisse, ut ab

ipso Aristotele edi potuerint: id quod iam abhinc annos ducentos Conringium uidisse suspicor. Etenim summa cum diligentia acieque ingenii libros Politicos pertractaverat neque fugerunt eum difficultates, quibus, quominus Aristotelis doctrinam politicam prorsus intelligeret, impediebatur. Cuius cum „asterisci" deinde ab editoribus deriderentur, postremo tamen et Spengelius et qui contra Spengelium librorum V et VI ordinem defenderunt, Hildenbrandius [1]) et Zellerus [2]) id certe sibi persuaserunt, in editione illa Conringiana [3]) uera cum falsis admodum esse permixta. Nec non eandem Conringii de Politicis sententiam approbauerunt Bojesenus, Thurotus, Susemihlius, qui cum de permultis locis lacunosis interpolatis transponendis disseruerint, haud san e dubitare uidentur, quin libros Politicos Aristoteles non solum non ediderit, sed etiam magnam eorum, qui restant, librorum partem non confecerit. Quam sententiam imprimis confirmare uidetnr permagnus eorum locorum numerus, in quibus sanandis transponendi remedio uti necesse est; haud enim raro enuntiationes, quas in margine adscripsisse uidetur Aristoteles postea sententiarum ordini inserendas, in alium aliquem locum et ineptissimum quidem translatae inueniuntur.

---

1) Hildenbrand, Geschichte und System der Rechts- und Staatsphilosophie. I. p. 345 — 385.

2) Zeller, Philosophie der Griechen. II^{b}. (edit. alt.) p. 520 adn. 3.

3) Helmstadii prodiit 1656.

Quae cum ita sint, hanc eandem praecipue rationem criticam ego quoque Susemihlium beneuolentissimum studiorum meorum et auctorem et adiutorem secutus inire conatus sum.

Numquid reapse ueri hoc libello ad libros Politicos corrigendos meliusque intelligendos contulerim, uirorum doctorum praeceptorumque illustrissimorum est diiudicare, ego uero, cum per hos duos annos e Politicorum studiis tantam uoluptatem tamque gratam hauserim institutionem, Susemihlio praeceptori gratias non possum non agere quam maximas.

Scribebam Gryphiswaldiae a. d. XV. Cal. Martias ann MDCCCLXVII.

§. 1.

II c. 4 p. 1262 a, 40—b,3 Bekk. (c. 1. §. 15. Schn.)

Thurotus [4]) uerba ἔοικε δὲ — νεωτερίζειν transponenda esse censuit post uerbum κοινωνίαν in cap. V. p. 1264 a 40; „il est singulier,“ ait, „qu' Aristote suppose ici (c. IV.) ce qu' il n' a pas encore demontré, et ce qu' il va demontrer, à savoir que la communauté relâche le lien des affections de famille.“ Sed etsi hoc uerum est, Aristotelem in subsequentibus demum sententiis demonstrare, qua de causa Plato illa de mulieribus et liberis lege constituta haudquaquam civitatem unam, id quod uoluerit, fieri efficiat, tamen uerba illa hoc loco tolerari non posse nego. Mihi quidem tamquam prooemium uidentur esse uerborum ὅλως δὲ συμβαίνειτ κ. τ. λ. neque puto copiosius philosophum debuisse sententiam illam hoc quidem loco comprobare, quam quibus fecit uerbis: ἧττον γὰρ ἔσται φιλία κοινῶν ὄντων τῶν τέκνων καὶ τῶν γυναικῶν.

---

4) Thurot, Etudes sur Aristote. Paris 1860, p. 26.

§. 2.

II c. 5. p. 1264 a 5. seqq. (c. 2. §. 10 sq.)

Δεῖ δὲ μηδὲ τοῦτο αὐτό ἀγνοεῖν, ὅτι χρὴ προςέχειν τῷ πόλλῳ χρόνῳ καὶ τοῖς πολλοῖς ἔτεσιν, ἐν οἷς οὐκ ἂν ἔλαθεν εἰ ταῦτα καλῶς εἶχεν· πάντα γὰρ σχεδὸν εὕρηται μέν, ἀλλὰ τὰ μὲν οὐ συνῆκται, τοῖς δ' οὐ χρῶνται γινώσκοντες. Μάλιστα δ' ἂν γένοιτο φανερόν, εἴ τις τοῖς ἔργοις ἴδοι τὴν τοιαύτην πολιτείαν κατασκευαζομένην· οὐ γὰρ δυνήσεται μὴ μερίζων αὐτὰ [5]) *καὶ χωρίζων ποιῆσαι τὴν πόλιν, τὰ μὲν εἰς συσσίτια, τὰ δὲ εἰς φρατρίας καὶ φυλάς· ὥστε οὐδὲν ἄλλο κ. τ. λ.*

Ante uerba *μάλιστα δ' ἂν γένοιτο φανερόν* Thuroto [6]) nonnulla excidisse uidentur, sed immerito, ut opinor. Falso enim interpretatus est uerba subsequentia: si quis talem rei publicae administrandae formam reapse institueret, intelligi posse, Platonis quidem institutis legibusque ciuitatem minime unam fieri. Neglexit Thurotus uerba: *ὥστε οὐδὲν ἄλλο συμβήσεται νενομοθετημένον, πλὴν μὴ γεωργεῖν τοὺς φύλακας· ὅπερ καὶ νῦν Λακεδαιμόνιοι ποιεῖν ἐπιχειροῦσιν*, quibus apparet Aristotelem id tantum ostendisse, quod antea dixerat: omnia iam propemodum reperta esse, eamque ipsam ob causam

---

5) *αὐτά* corruptum esse Goettlingio uidetur, qui *αὐτῶν* legendum esse censet, ut legitur in editione principe; rectius fortasse *αὐτούς* scribendum est i. e. *πολίτας*.

6) Etudes sur Aristote p. 28.

legislatori longi temporis praeteriti rationem esse habendam, cui non latuisset, utrum instituta illa bene se haberent an non. Itaque mihi quidem uerba *μάλιστα δ' ἂν γένοιτο φανερόν* rectissime ad ea, quae antecedunt, uerba referri posse uidentur.

§. 3.

De libri IV (uulgo VII) capp. 2 et 3.

Aristoteles in IV libro de optima reipublicae forma disputaturus primis in capitibus duas res antea sibi diiudicandas esse censet, quae sit et qualis uita beata, utrumque eadem sit hominis singularis uita beata et totius ciuitatis an alia. De utraque quaestione disserit in cap. I: *νῦν δ' ὑποκείσθω τοσοῦτον, ὅτι βίος μὲν ἄριστος, καὶ χωρὶς ἑκάστῳ καὶ κοινῇ ταῖς πόλεσιν, ὁ μετὰ ἀρετῆς κεχορηγημένης ἐπὶ τοσοῦτον ὥστε μετέχειν τῶν κατ' ἀρετὴν πράξεων* p. 1323 b, 40 — 1324 a. 2. Attamen capitis II initium denuo quaestionem alteram ita in medio proponit, ut nulla capitis prioris fiat mentio: *πότερον δὲ τὴν εὐδαιμονίαν τὴν αὐτὴν εἶναι φατέον ἑνός τε ἑκάστου τῶν ἀνθρώπων καὶ πόλεως ἢ μὴ τὴν αὐτήν, λοιπόν ἐστιν εἰπεῖν.*

Hanc malam repetitionem Leonardus Spengelius[7]) primus tetigit; quem secuti sunt Bernaysius, qui in libro de Aristotelis diagolis scripto (p. 159) alio tempore se de hac difficultate tollenda disputaturum esse pollicitus est, et Susemihlius, qui

7) Ueber die Politik des Arist. Abh. der Münch. Akad. der Wiss. I. Cl. V. Bd. 1. Abth. p. 45. 48.

rem in commentatione tractauit Jahnii Annalibus inserenda, quam antea mecum communicauit. Et Susemihlio quidem uerisimillimum nidetur esse, uerba πότερον [δὲ καὶ .... σπουδαιοτέραν p. 1324 a, 5—13 (c. 2. §. 1) reliquias tamquam esse alterius Politicorum recensionis, quae, si uerbis ἐχόμενον — σώφρων c. 1. p. 1323 b. 29—36 (c. 1. §. 5) omissis uel in margine adscriptis post uerba διὰ τὴν τύχην ἐστίν transponerentur, sententiarum ordinem nequaquam turbarent. Assentior uiro doctissimo praesertim cum hac uerborum transpositione Susemihlius ea quoque tolli rectissime ostenderit, quae illis in uerbis in marginem transscribendis Hildenbrandium[8]) et ipsum Spengelium[9]) offenderunt. Nam uterque uir doctus, cum peruerse uirtutem apud Aristotelem plane idem esse quod uitam beatam putet, de uita beata contendit iam in libri III cap. IV disseruisse philosophum. Sed satis aperte Aristoteles beatum hominem beatamque ciuitatem ea esse dicit, quae secundum uirtutem uitam degant „bonis externis ita instructam, ut uirtutis officia possit obire (μετὰ ἀρετῆς κεχορηγημένης ἐπὶ τοσοῦτον ὥστε μετέχειν τῶν κατ᾽ ἀρετὴν πράξεων).“ Sola igitur uirtus uitam beatam non efficit, χορηγίαν, quam uocat, illam bonorum externorum uirtuti addi necesse est.

Sed etiam alias offert difficultates caput II, quas

8) Hildenbrand l. l. p. 368.

9) Ueber die Politik des Aristoteles. Abh. d. Münch. Akad. I. Cl. X. Bd. 3. Abth. p. 665.

Hampkius[10]) inuita ut uidetur Minerua sibi proposuerat corrigendas, nam et omnino duorum capitum II et III rationem et singulas quasdam sententias haud recte interpretatus est. Ac primum quidem de uerbis, de quibus modo disputabam, uersatur in errore, quibus nouum aliquid et necessarium capiti priori addi dicit supplementnm: „Zu Anfang des zweiten Capitels ergänzt Aristoteles eine Lücke in dieser Beweisführung (i. e. capitis I); er zeigt nämlich, dass er die wünschenswertheste Lebensweise des Staates aus der für die einzelnen Menschen geltenden richtig abgeleitet habe, daraus, dass alle eben darin die Glückseligkeit des ganzen Staates setzen, worin sie die eigene setzen, also aus der allgemeinen Geltung dieses Schlusses.“ Quem contra errorem nihil profecto disputare opus est! — Deinde his uerbis Hampkius primorum capitum rationem describit: „Aristoteles hat gezeigt (i. e. in cap. I), dass im Allgemeinen das tngendhafte praktische Leben für die einzelnen Menschen das wünschenswertheste sei, er hat aber oben die Frage offen gelassen, ob für Einzelne nicht eine andere Lebensweise die wünschenswertheste sei.“ Immo potius Aristoteles in cap. I ostendit, uita beatae naturam uirtutem esse bonis externis satis instructam, eandemque et unius hominis et totius ciuitatis; in capitibus autem II et III utrum

10) Ueber das 2. und 3. Kap. des IV. (früher VII) Buches der Aristotelischen Politik. In Philologo XIX p. 614 ff.

uita praestantior et optabilior sit publica an privata litterisque dedita quaerit. Sed etiam hunc errorem siue uerborum obscuritatem paucis uerbis confutasse sufficiat.

Permagni autem est momenti lapsus tertius in uerbi οἱ πέλας sententia explananda p. 1324a, 36 a Hampkio commissus. Non enim hoc loco οἱ πέλας significant uicinas gentes sed homines propinquos, etiamsi in reliqua horum capitum parte uox illum praebet sensum, quem ei hoc quoque loco inculcauit Hampkius. Et haec quidem sunt huius loci uerba: νομίζουσι δ' οἱ μὲν τὸ τῶν πέλας ἄρχειν δεσποτικῶς μὲν γιγνόμενον μετ' ἀδικίας τινὸς εἶναι τῆς μεγίστης, πολιτικῶς δὲ τὸ μὲν ἄδικον οὐκ ἔχειν, ἐμπόδιον δὲ ἔχειν τῇ περὶ αὐτὸν εὐημερίαν. In quibus etiamsi editoribus περὶ αὐτόν uocabula corrupta uidentur (περὶ αὐτῶν scripserunt Victorius, Zwingerus, Sylburgus, Casaubonus ex coniectura, περὶ αὐτοὺς Schneiderus, Coraës, περὶ αυτὸν Goettlingius, „circa se ipsum" habet uersio Guilelmi), tamen ad ciuitatem opinor referri non possunt. Hampkius uero sic interpretatur enuntiationem: „Es glauben aber die Einen, dass die Herrschaft über die benachbarten Völker (denn das heisst οἱ πέλας im ganzen Capitel), wenn sie auf herrische Weise geschieht, mit der grössten Ungerechtigkeit verbunden sei, wenn aber in politischer Weise, zwar nicht ungerecht, aber dem eigenen Glücke (des herrschenden Staates) hinderlich sei." Quae si uera esset uerborum interpretatio, subsequentia

uerba τούτων δ' ὥσπερ usque ad πολιτευομένοις cum illis non cohaererent; accedit, quod uerba, quae deinde sequuntur, οἱ μὲν οὖν οὕτως κ. τ. λ. reuera ex antecedentibus nequaquam nectuntur. Quae cum ita sint, Hampkius nonnullas horum capitum partes, ut restituat sententiarum ordinem, transposuit, ita tamen, ut duas partes (p. 1324 a, 23—35 et 38—61), quas tamquam παραφράσεις esse iudicat, prorsus delere coactus sit. At tota haec emendandi ratio mihi quidem falsa esse unumque tantum recte Hampkius monuisse uidetur, uerba dico οἱ μὲν οὖν οὕτως κ. τ. λ. p. 1324 b, 1 cum antecedentibus non cohaerere. Nam in his, quae antecedunt, de hominis singularis quaeritur uita beata, neque ullo modo ferri potest, cum his alia de totius ciuitatis beatitudine ita comparari, ut tertium, ut ita dicam, comparationis plane desideretur. Quam ob rem ante οἱ μὲν οὖν οὕτως nonnulla excidisse conicio[11]), neque si totum sententiarum ordinem diligenter sequaris, intellectu difficile est, quales fere sententiae desint. Quaerit enim Aristoteles utrum praestantior et optabilior (αἱρετώτερος) sit uita priuata studiisque liberalibus et otio dedita, an uita publica. Neque parui esse momenti dicit, utrum sit uerum „τέλος" cum et homo singularis et respublica necesse sit meliora expetant. Tum accuratius primum, quae de

11) In idem incidisse Susemihlium ex eius commentatione mecum communicata, de qua supra uerba feci, summo cum gaudio perspexi.

hominis singularis uiuendi ratione in utramque partem disputari soleant, his fere uerbis expressit: „Quidam igitur existimant, propinquis imperare, si tyrannorum more fiat, iniustissimum esse, sin ciuiliter, abesse quidem iniuriam, impedire tamen eiusmodi negotium, quominus otio et prosperitate fruatur homo. Alii publicam tantum uitam uiro dignam esse censent, propterea quod omnis laus uirtutis in actione consistat et ad actiones quidem uita publica maxime praebeat aditum.“ — Sequuntur uerba οἱ μὲν οὖν οὕτως ὑπολαμβάνουσιν, οἱ δὲ τὸν δεσποτικὸν καὶ τυραννικὸν τρόπον τῆς πολιτείας εἶναι μόνον εὐδαίμονά φασιν. κ. τ. λ.

Ac primum quidem, si sententias supplere conamur, quae hoc loco omissae esse uidentur, cum eis, quae de hominis singularis uita beata disputata sunt, comparanda sunt similia, quae de totius reipublicae uita beata disputari solent. In ipso autem libro IV nonnullae extant sententiae, quae hanc ad quaestionem spectant: In cap. II p. 1324 b, 41—25 a, 5 (§. 9) et in cap. III p. 1325 b, 23—27 (§. 6) fieri posse obseruat Aristoteles, ut ciuitas res tantum curet internas; in cap. autem XIV p. 1333 b, 38—1334 a, 2 (c. 13, §. 14) nonnullis rebuspublicis et opus esse et utile demonstrat uicinarum gentium principatum tenere: τήν τε τῶν πολεμικῶν ἄσκησιν οὐ τούτου χάριν δεῖ μελετᾶν, ἵνα καταδουλώσωνται τοὺς ἀναξίους, ἀλλ᾽ ἵνα πρῶτον μὲν αὐτοὶ μὴ δουλεύσωσιν ἑτέροις, ἔπειτα ὅπως ζητῶσι τὴν ἡγεμονίαν τῆς ὠφελείας ἕνεκα τῶν ἀρχομένων, ἀλλὰ μὴ πάντων δεσποτείας· τρίτον δὲ τὸ δεσπόζειν τῶν ἀξίων

δουλεύειν. Quodsi utrumque locum in nostram rem conuertere licet, tales fere excidisse sententiae uidentur:

Ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τὰς πολιτείας ἀμφισβητεῖται· οἱ μὲν γὰρ τὰς καθ' αὑτὰς πόλεις ἱδρυμένας προαιροῦνται· τῶν δ' ἔνιοι μὲν καὶ χρήσιμον καὶ ἀναγκαῖον εἶναι νομίζουσι ταῖς πόλεσι τὴν τῶν πέλας ἡγεμονίαν, ἵνα πρῶτον μὲν αὐταὶ μὴ δουλεύσωσιν ἑτέραις, ἔπειτα τῆς ὠφελείας ἕνεκα τῶν ἀρχομένων·

Iam pergit oratio rectissime:
οἱ μὲν οὖν οὕτως ὑπολαμβάνουσιν, οἱ δὲ τὸν δεσποτικὸν καὶ τυραννικὸν τρόπον τῆς πολιτείας εἶναι μόνον εὐδαίμονα.

Omnia quae sequuntur usque ad finem cap. II pertinent ad ea, quae postremo de reipublicae ratione, ut ita dicam, tyrannica exposuit philosophus, nam et exemplis ex historia petitis illustrat illam sententiam et argumentis ostendit, quam ob rem sibi uideatur esse refutanda. Sed initio cap. III ad quaestionem illam, e qua digressus sit, reuertentem iam utrum sit praestantior uita priuata an publica se diiudicaturum esse disertis uerbis ipse Aristoteles testatur: ἀλλὰ τοῦτο μέν κ. τ. λ.

Quae cum ita sint, Hampkium et in eo errasse perspicuum est, quod altera capitis II parte eam ipsam quaestionem contineri iudicat, quam Aristoteles tamquam proprium munus appellat commentationis politicae c. 2, 1324 a, 22 sq. (§. 2). Non enim tam illam quae est de hominis singularis uita beata

quaestionem sibi proposuerat diiudicandam, quam alteram uere politicam: *ἔτι δὲ*, inquit p. 1324 a, 17, *τίνα πολιτείαν θετέον καὶ ποίαν διάθεσιν πόλεως ἀρίστην, εἴτε πᾶσιν ὄντος αἱρετοῦ κοινωνεῖν πόλεως, εἴτε καὶ τισὶ μὲν μή, τοῖς δὲ πλείστοις*; his autem uerbis nihil profecto significatur nisi, quaestione priore diiudicata, philosophum ad ipsam rem, i. e. ad ipsam optimae reipublicae descriptionem progressurum esse. Quid uero Hampkius de hac quaestione altera iudicauerit, me nescire confiteor, cum certum huius rei indicium in illius disputatione non inuenerim.

§. 4.

IV (uulgo VII) c. 4 p. 1326 a, 29—35 (§. 5.)

Uerba, quae leguntur:

ὅτε γὰρ νόμος τάξις τίς ἐστι, καὶ τὴν εὐνομίαν ἀναγκαῖον εὐταξίαν εἶναι, ὁ δέ λίαν ὑπερβάλλων ἀριθμὸς οὐ δύναται μετέχειν τάξεως· θείας γὰρ δὴ τοῦτο δυνάμεως ἔργον, ἥτις καὶ τόδε συνέχει τὸ πᾶν, ἐπεὶ τό γε καλὸν ἐν πλήθει καὶ μεγέθει εἴωθε γίγνεσθαι. διὸ καὶ πόλιν ἧς μετὰ μεγέθους ὁ λεχθεὶς ὅρος ὑπάρχει, ταύτην εἶναι καλλίστην ἀναγκαῖον; omnibus fere editoribus corrupta esse uisa sunt; attamen nemo difficultatem, quam tetigit, recte sustulit. Unus Coraës uerum uidit: *ἐπεί* coniunctionem non spectare ad uerba, quae antecedunt, sed quae subsequuntur. Idcirco uerba emendauit ita: ..... *τὸ πᾶν· ἐπεὶ δὲ τὸ καλὸν ἐν πλήθει καὶ μεγέθει εἴωθε γίγνεσθαι, καὶ πόλιν, ἧς μετὰ μεγέθους κ. τ. λ.* Sed idem, quod uoluit Co-

raës, efficitur, si quae mihi et recta et facillima esse emendatio uidetur, uerba ἐπεὶ τόγε καλόν — γίγνεσθαι transponuntur post uerbum ἀναγκαῖον: .... συνέχει τὸ πᾶν· διὸ καὶ πόλιν, ἧς μετὰ μεγέθους .... ἀναγκαῖον, ἐπεὶ τό γε καλὸν ἐν πλ. κ. μεγ. εἴωθε γίγνεσθαι. — Ὁ λεχθεὶς ὅρος significat εὐνομίαν.

§. 5.

IV (VII) c. 11. p. 1330 a. 41—b 7 (c. 10. §. 2.)

Sententiarum ordinem etiam in c. XI non nihil perturbatum esse perspicuum est. Dixit enim philosophus: ipsius urbis situm talem esse optandum, ut quattuor res spectentur, primum ut incolarum respiciatur ualetudo. Quam primam rationem exemplis illustrat. Reliquarum deinde duas ennmerat „τὰς πολιτικὰς πράξεις καὶ πολεμικάς;“ deque altera, res bellicas dico, nonnulla accuratius exponit. Tum uero quarta ratione plane omissa reuertitur ad primam: ἐπεὶ δὲ δεῖ περὶ ὑγιείας φροντίζειν κ. τ. λ. p. 1330 b, 8—17. Postremo de rebus bellicis iterum disputat. Quodsi ordinem sententiarum restituere conamur—nisi forte quis credit, ab ipso Aristotele uerba hoc ipso ordine, qui nullus est, recte esse tradita — transponenda sunt uerba τῶν δὲ λοιπῶν — διὰ πόλεμον post uerbum χρείαν p. 1330 b. 17, ita tamen, ut rectius fortasse pro ἐπεὶ δὲ δεῖ legatur εἴπερ δὲ δεῖ κ. τ. λ.

Quo facto omnes difficultates nequaquam tolluntur: restant, quas Susemihlius nuper in uerbis

τῶν δὲ λοιπῶν — καλῶς ἔχειν aperuit[12]) neque dubito, quin recte excidisse nonnulla coniecerit post uerbum λοιπῶν, quorum sensum hoc fere modo restituit: Von den übrigen Punkten aber ist die Schönheit zwar wichtig, wichtiger aber, dass die Lage der Stadt für die bürgerlichen und kriegerischen Thätigkeiten sich wohl geeignet verhalte.

§. 6.

IV (VII) c. 13 p. 1332 b, 3. (c. 12 §. 7).

Idem Susemihlius[13]) nuper de uerborum τὰ μὲν οὖν ἄλλα — ἔχειν βέλτιον sensu atque ratione disputauit, in quibus difficultatem eam inesse exposuit, quod uerbis πολλὰ γὰρ — βέλτιον uerba, quae antecedunt, nequaquam fulciantur. Sed etiam uerbis ὥστε δεῖ — ἀλλήλοις ob eandem causam offendor. Quod enim cetera animalia naturam maxime sequuntur, quaedam nonnihil etiam consuetudinem, quomodo hanc ob causam apud homines naturam, consuetudinem, rationem consentire opus sit, equidem non intelligo. Quam ob rem uerba ὥστε — ἀλλήλοις falsum locum obtinere suspicor: quibus remotis et post uerbum τὸ βέλτιον p. 1332 b, 3 traiectis sententiarum ordinem rectissime restitui iam per se satis apparebit. Sed ne falsa et inania contendisse uidear, ipsum sententiarum ordinem paucis uerbis accura-

---

12) In Philologo XXV p. 339.
13) Ibidem p. 403.

tius proponam: „Indoles, quam dedit nobis natura", ait Aristoteles, „nonnumquam uidetur esse inutilis, mutatur enim consuetudine tum in bonam tum in malam partem[14]). Quam ob rem haec (*ταῦτα*) i. e. indolem et consuetudinem congruere inter se et consentire opus est. Ac cetera quidem animalia naturam maxime sequuntur, quaedam non nihil etiam consuetudinem, homo uero regitur etiam ratione, qua solus est praeditus. Multa enim praeter indolem atque consuetudinem faciunt homines secundum rationem, quotienscumque sic melius rem se habituram esse (*ἄλλως ἔχειν βέλτιον*) sibi persuaserunt."

§. 7.

IV (VII) c. 17. p. 1336 b, 27—35. (c. 15. §. 10.)

Susemihlius[15]) uerba *ἴσως γὰρ* — *δυσμένειαν* post uerbum *πάντας* l. 23. (§. 9) transponit. Sed omnino dubito, num ab Aristotele sint scripta; nam me nescire fateor, qua ratione actor ille primarum partium Theodorus metuerit, ne ab alio quolibet actore, etiamsi esset omnium postremus, spectatorum animi et aures nimis occuparentur. Neque licebat opinor actoribus apud ueteres talem, qualis hoc loco fertur, sequi rationem, immo potius poëtarum in

---

14) **Assentior Susemihlio, qui l. l. legendum esse censet:** *ἔνια γάρ ἐστι διὰ τῆς φύσεως ἐπαμφοτερίζοντα, <ἃ διάγεται> διὰ τῶν ἐθῶν ἐπὶ τὸ χεῖρον καὶ τὸ βέλτιον.*

15) **L. l. p. 409.**

tragoediis consilium sequi debebant. Inepte igitur, nisi falso, mihi illud Theodori enarratum uidetur esse. Accedit, quod in ipsis uerbis inest difficultas, quam Camerarius tetigit, qui de uerbis ἔλεγε τὸ τοιοῦτον „quod uero,“ inquit, „hoc dictum est? Factum enim magis exponitur histrionis.“ Quamobrem interpolata esse uerba illa suspicor.

§. 8.

V (VIII) c. 4. p. 1338 b, 36—38 (§. 5).

P. 1338 b, 24—38 leguntur uerba:

Ἔτι δ' αὐτοὺς τοὺς Λάκωνας ἴσμεν, ἕως μὲν αὐτοὶ προσήδρευον ταῖς φιλοπονίαις, ὑπερέχοντας τῶν ἄλλων, νῦν δὲ καὶ τοῖς γυμνασίοις[16]) καὶ τοῖς πολεμικοῖς ἀγῶσι λειπομένους ἑτέρων· οὐ γὰρ τῷ τοὺς νέους γυμνάζειν τὸν τρόπον τοῦτον διέφερον, ἀλλὰ τῷ μόνον μὴ πρὸς ἀσκοῦντας ἀσκεῖν. ὥστε τὸ καλὸν ἀλλ' οὐ τὸ θηριῶδες δεῖ πρωταγωνιστεῖν· οὐ γὰρ λύκος οὐδὲ τῶν ἄλλων θηρίων τι ἀγωνίσαιτο ἂν οὐθένα καλὸν κίνδυνον, ἀλλὰ μᾶλλον ἀνὴρ ἀγαθός. οἱ δὲ λίαν εἰς ταῦτα ἀνέντες τοὺς παῖδας, καὶ τῶν ἀναγκαίων ἀπαιδαγωγήτους ποιήσαντες, βαναύσους κατεργάζονται κατά γε τὸ ἀληθές, πρὸς ἕν τε μόνον ἔργον τῇ πολιτικῇ χρησίμους ποιήσαντες, καὶ πρὸς τοῦτο χεῖρον, ὡς φησὶν ὁ λόγος, ἑτέρων. δεῖ δὲ οὐκ ἐκ τῶν προτέρων ἔργων κρίνειν, ἀλλ' ἐκ τῶν νῦν· ἀνταγωνιστὰς γὰρ τῆς παι-

16) γυμναστικοῖς mauult Coraës uersionem ueterem secutus.

δείας νῦν ἔχουσι, πρότερον δ' οὐκ εἶχον. Uerba extrema ad Lacedaemonios, quos supra commemorauit Aristoteles, spectare perspicuum est; attamen, cum tot uerba ὥστε — ἑτέρων inter priorem et alteram de Lacedaemoniorum eruditione commentationem interposita sint, post uerba τῶν προτέρων ἔργων eiusmodi significatio, uelut τῶν Λακώνων repetere debebat philosophus. Sed omnino haud uerisimile est, Aristotelem hoc modo primum exempla attulisse, deinde quae ei erat de institutione gymnastica sententiam protulisse, postremo tam flexiloquis uerbis ad unum aliquod exemplum rediisse. Qua propter rectius ut mihi quidem uidetur, uerba δεῖ δὲ οὐκ — εἶχον transponuntur post uerbum ἀσκεῖν 29 (§. 4). Tum uero sententiarum ordo magnopere approbari potest, si quidem sic cum ipsis uerbis οὐ γὰρ τῷ τοὺς νέους γυμνάζειν τὸν τρόπον τοῦτον διέφερον, ἀλλὰ τῷ μόνον μὴ πρὸς ἀσκοῦντας ἀσκεῖν artissime cohaerent uerba δεῖ δὲ οὐκ ἐκ τῶν προτέρων ἔργων κρίνειν, ἀλλ' ἐκ τῶν νῦν κ. τ. λ., neque amplius, ut ipsis uerbis iterum Lacedaemoniorum fiat mentio, desideratur [17]).

§. 9.

V (VIII) c. 5 p. 1340b, 17—19 (§. 10.)

Uerba καί τις ἔοικε — ἁρμονίαν cum anteceden-

---

17) Eandem de his uerbis sententiam protulit Susemihlius in Philologo XXV p. 411, ubi in annot. 16 me quoque in eam incidisse obseruat.

tibus non cohaerere perspicuum est. Demonstrauit enim philosophus, in musica non solum uoluptatem quandam inesse, sed etiam uim, qua animus afficiatur moresque excolantur; adhibendam igitur eam esse ad educandos pueros. Iam uerbis ἐκ μὲν οὖν τούτων φανερόν hanc quaestionem conficit; addit tantum pauca de huius artis suauitate qua fiat, ut sit ad puerilem aetatem accomodata institutio musica. Cum hac autem ultima sententia minime cohaerent uerba subsequentia, quibus exponit Aristoteles cognationem quandam extare inter animum et harmonias numerosque, qua de causa fuisse, qui animum ipsum harmoniam esse contenderint. Spectant igitur haec uerba ad ea potius, quae de ui ac natura musicae antea disseruit. Quae cum ita sint, uerba καί τις ἔοικε — ἁρμονίαν transponenda esse suspicor post ἐλευθεριωτέρας p. 1340b. 11 (§. 9) ita ut praeterea cum Imm. Bekkero in editione altera de Reizii coniectura uerbis paucis additis totus locus sit legatur: καί τις ἔοικε συγγένεια ταῖς ἁρμονίαις καὶ τοῖς ῥυθμοῖς < πρὸς τὴν ψύχην > εἶναι· διὸ πολλοί φασι τῶν σοφῶν οἱ μὲν ἁρμονίαν εἶναι τὴν ψυχήν, οἱ δ' ἔχειν ἁρμονίαν.

§. 10.

Num recte coniecerit Nickesius[18]) quaestiones quasdam intercidisse post libri IV (VII) caput XII (11) et post libri V (VIII) caput IV quaeritur.

18) J. P. Nickes, De Aristotelis Politicorum libris dissertatio. Bonnae 1851. p. 98—100.

Nickesius in dissertatione sua diligentissima de librorum IV (VII) et V (VIII) integritate disputans contra Conringium his in libris quaestionem de optima ciuitate confectam esse demonstrare conatur. Permulta uetus ille Politicorum interpres desiderauerat, et recte quidem his diebus et Spengelius et Zellerus et Hildenbrandius cum eo consentiunt. Nickesius uero omnia fere, quae attulerat Conringius, argumenta refutasse sibi uisus est ita, ut duas tantum uel tres quaestiones in libris IV et V deesse concesserit. Atque mihi, cum disputationem quae est de optima ciuitate, inchoatam ab Aristotele relictam esse iam ab aliis firmatum sit, de lacunis tantum, quas Nickesius suspicatus est, disserere proposui.

Ac primum quidem in libro IV (VII) quaestiones de syssitiis et de seruis deesse recte censet, quoniam reuera quae de his rebus se disputaturum esse promisit Aristoteles, nusquam inueniantur. Leguntur enim in capite X haec uerba:

p. 1330 a, 3: (c. 9. §. 6) *περὶ συσσιτίων τε συνδοκεῖ πᾶσι χρήσιμον εἶναι ταῖς εὖ κατεσκευασμέναις πόλεσιν ὑπάρχειν· δι' ἣν δ' αἰτίαν συνδοκεῖ καὶ ἡμῖν, ὕστερον ἐροῦμεν.* deinde ibidem a, 31 (c. 9. §. 9.): *τίνα δὲ δεῖ τρόπον χρῆσθαι δούλοις, καὶ διότι βέλτιον πᾶσι τοῖς δούλοις ἆθλον προκεῖσθαι τὴν ἐλευθερίαν, ὕστερον ἐροῦμεν.*

Cum utramque quaestionem Nickesius post caput XII intercidisse coniecerit, ordinem et rerum

distributionem per totum librum obseruanti errasse eum perspicuum erit.

Aristoteles postquam de uita beata per capita tria disseruit, iam in cap. IV his uerbis pergit: *ἐπεὶ δὲ πεφροιμίασται τὰ νῦν εἰρημένα περὶ αὐτῶν, ἀρχὴ τῶν λοιπῶν εἰπεῖν πρῶτον ποίας τινάς δεῖ τάς ὑποθέσεις εἶναι περὶ τῆς μελλούσης κατ' εὐχὴν συνεστάναι πόλεως. οὐ γὰρ οἷόν τε πολιτείαν γενέσθαι τὴν ἀρίστην ἄνευ συμμέτρου χορηγίας, διὸ δεῖ πολλὰ προϋποτεθεῖσθαι καθάπερ εὐχομένους, εἶναι μέντοι μηθὲν τούτων ἀδύνατον. λέγω δὲ οἷον περί τε πλήθους πολιτῶν καὶ χώρας.*

Multum refert, qualis et quanta sit de hac re commentatio. Quam Spengelius capita IV usque ad XIII continere censet, Nickesius uero „agricolas, artifices, *θῆτες* a republica excludere .... non fortunae sed legislatoris esse" putat. Equidem Spengelio assentior. Nam si ueterum Graecorum quae reuera extabant respublicas, si philosophorum eiusdem nationis contemplamur quas finxere ciuitates, reuera quaestiones istae quae sunt de incolarum distributione deque ciuitate his illis tribuenda uel deneganda, eadem ratione ad *χορηγίαν* illam pertinent, qua quaestiones de urbis et agrorum situ instituendas. Tota enim incolarum multitudo legislatori tamquam donum est fortunae: optimam ciuitatem constituturo quales sint incolae optare licet. — His igitur in capitibus usque ad cap. XIII (12) ciuitatis optimae tamquam conditiones explicantur (*υποθέσεις, χορηγία*); in extremo autem cap.

XII (11) leguntur uerba: ἀλλά τὸ διατρίβειν νῦν ἀκριβολογουμένους καὶ λέγοντες περὶ τῶν τοιούτων ἀργόν ἐστιν. οὐ γὰρ χαλεπόν ἐστι τὰ τοιαῦτα νοῆσαι, ἀλλὰ ποιῆσαι μᾶλλον· τὸ μὲν γὰρ λέγειν εὐχῆς ἔργον ἐστί, τὸ δὲ συμβῆναι τύχης: διὸ περὶ μὲν τῶν τοιούτων τό γε ἐπὶ πλεῖον ἀφείσθω τὰ νῦν. Quae mihi quidem non solum ad quaestionem ultimam, quae est de situ urbis, sed etiam ad eas omnes pertinere uidentur, quas inde a cap. IV pertractauit philosophus. Et hoc quidem certum est his uerbis disputationem de conditionibus optimae ciuitatis confici, uerbisque subsequentibus in cap. XIII (12) περὶ δὲ τῆς πολιτείας αὐτῆς κ. τ. λ. Aristotelem ad ipsam constituendam optimam rempublicam pergere ita, ut initio de ciuium liberis educandis disserat. Quam obrem si, quae de syssitiis et seruis erant tractanda et quae ex priore parte remouit Aristoteles, interpositae fuissent inter has duas partes, quomodo siue cum priore siue cum altera continerentur non uideo. Ego contra puto, ut supra dixi, permulta omnino nobis deesse, quae de optima ciuitate siue scripserit siue scripturus fuerit Aristoteles, neque quaestionibus musicis, quas continet liber V, confectam esse ciuitatis optimae descriptionem. In his uero, quae post librum V (VIII) desiderantur, de syssitiis quoque et seruis disputauit uel disputaturus erat philosophus.

Iam uenio ad alteram lacunam, quam in libro V esse conicit Nickesius. In cap. enim 3 p. 1338a, 30 (§. 1) leguntur uerba: ὅτι μὲν τοίνυν ἐστὶ παιδεία

τις, ἣν οὐχ ὡς χρησίμην παιδευτέον τοὺς υἱεῖς οὐδ' ὡς ἀναγκαίαν, ἀλλ' ὡς ἐλευθέριον καὶ καλήν, φανερόν ἐστιν· πότερον δὲ μία τὸν ἀριθμὸν ἢ πλείους, καὶ τίνες αὗται καὶ πῶς, ὕστερον λεκτέον περὶ αὐτῶν.

Hanc de ceteris praeter musicam doctrinis et artibus disputationem post caput IV libri V excidisse ille iudicat. Quem ut refutem, huius quoque libri ordinem rerumque distributionem accuratius exponam necesse est.

Ac primum quidem in cap. I duas quaestiones pertractat: primam, utrum sit legislatoris de educandis liberis aliquid instituere necne; alteram, utrum sit educatio publica an priuata praeferenda. Deinde in cap. II et III de educandi ratione quaerit. Quam uero ipse rationem sit secuturus, e uerbis, quae supra commemoraui, satis apparet.

Iam ad ipsam liberorum educationem progreditur. Neque solum compluribus locis aliis exposuit antecedere corpus animo, eruditioni consuetudinem (τὸ ἦθος), sed etiam hoc nostro loco p. 1338 b, 4 confirmat moribus prius quam literis pueros esse instituendos, et corpus prius quam mentem esse exercendum. Quamobrem primum pueros arti gymnasticae tradi iubet, ut corpora conformentur. Deinde in cap. V sqq. disputat de musica, qua ratione adhibenda sit ad pueros instituendos. Tertia de literis quaestio — deest. Est enim tertia haec de literis quaestio, haud profecto altera. Quaenam enim est musicae uis ac natura? utrum mores hac

arte excoluntur an mens? Equidem censeo, quid senserit Aristoteles, satis esse perspicuum, neque dubitari posse, quin omnium disciplinarum primam adhibendam esse musicam iudicauerit, propterea quod a pueris per totam uitam non solum summam praebeat uoluptatem, sed etiam animum afficiat moresque excolat. Quae cum ita sint, rectissime quaestionem de arte gymnastica disputatio de arte musica sequitur, deinde de ceteris artibus liberalibus atque de mente expolienda disserendum fuisse patet Aristoteli.

§. 11.

De libri VI (IV) capitibus XII et XIII. (c. 10 Schn.)

Nuper cum in regio seminario philologico Gryphiswaldensi de libri VI capitibus XII et XIII disputarem, nonnullas, quas defenderam, sententias Buecherus uir doctissimus assensu suo non comprobavit ac tali modo me refellit, ut gratias ei agam quam maximas, quod et meliora me edocuit et ut hoc in libello sententias suas proferrem permisit. — Aristoteles igitur cum in praecedentibus libri VI capitibus duas earum quaestionum, quas sibi proposuit soluendas in cap. II, pertractauerit, in cap. XII iam de tertia disputat: quae reipublicae administrandae forma quibus et qualis qualibus expediat. Ac primum quidem tamquam ueri et falsi notam ponens, „oportet“ inquit „eam ciuitatis partem, quae uult reipublicae formam manere, plus ualere quam quae

non uult". Deinde, qualis sit harum ciuitatis partium uis, exponit: constare ciuitatem omnem ex „quali" et „quanto" (ἐκ τοῦ ποιοῦ καὶ ποσοῦ). „Quale" dicit esse libertatem, diuitias, eruditionem, nobilitatem a parentibus acceptam; „quantum" esse praeualentem multitudinem. Contingere autem posse, ut earum partium, quibus constet ciuitas, alteri adiunctum sit quale, alteri quantum, exempli causa: ut plures numero sint homines, ut ita dicam, plebei, quam patricii, aut egentes quam locupletes, ita tamen, ut non tam superent quanto, quam superentur quali. Comparanda igitur haec esse inter se. Quae postquam exposuit iam progreditur philosophus ad singulas reipublicae administrandae formas. Primum quibus expediat democratia explicat:

ὅπου μὲν οὖν ὑπάρχει τὸ τῶν ἀπόρων πλῆθος τὴν εἰρημένην ἀναλογίαν, ἐνταῦθα πέφυκεν εἶναι δημοκρατίαν κ. τ. λ. (p. 1296 b 24 §. 2.);

deinde quibus oligarchia:

ὅπου δὲ τὸ τῶν εὐπόρων . . . . ὑπερτείνει κ. τ. λ., ἐνταῦθα δὲ ὀλιγαρχίαν (p. 1296 b, 31 §. 3.); denique de ea reipublicae forma disserit, quam sensu angustiore πολιτείαν uocat:

ὅπου δὲ τὸ τῶν μέσων ὑπερτείνει πλῆθος — ἐνταῦθ᾽ ἐνδέχεται πολιτείαν εἶναι μόνιμον κ. τ. λ. usque ad διαιτητὴς δ᾽ ὁ μέσος (p. 1296b, 38—1297a, 6. §. 4.)

Qua simili similium uerborum constructione satis apparet has tres enuntiationes artissime inter se contineri. Quo uero accuratius sententiarum quoque rationi respondent, eo magis offendor uerbis:

δεῖ δ' ἀεὶ τὸν νομοθέτην ἐν τῇ πολιτείᾳ προσλαμβάνειν τοὺς μέσους· ἄν τε γὰρ ὀλιγαρχικοὺς τοὺς νόμους τιθῇ, στοχάζεσθαι χρὴ τῶν μέσων, ἐάν τε δημοκρατικούς, προσάγεσθαι τοῖς νόμοις τούτους (p. 1296 b 34—38 §. 3), ita, ut hoc quidem loco hanc sententiam tolerari non posse arbitrer. Quo enim iure in ea totius operis parte, cui propositum est definire, quae reipublicae forma quibus hominibus aptissima sit, legislatori afferuntur eiusmodi consilia? Accedit quod ipsa uerba non referri possunt ad ea quae antecedunt, quoniam *πολιτεία* hoc loco non significare uidetur quamuis reipublicae formam, sed illam quam angustiore sensu politiam uocat.

Quod autem attinet ad uerba *ὅπου δὲ τὸ τῶν μέσων ὑπερτείνει πλῆθος — διαιτητὴς δ' ὁ μέσος*, non est quod miremur repetiisse Aristotelem, quod iam in cap. XI (9) de politiae ui ac firmitate exposuerit. Nam cum rarissimam esse hanc reipublicae formam quamuis cum plurimis ciuitatibus maxime congruam saepe ostenderit, non miror, quod hoc loco politiam in earum numero rerum publicarum, quae reapse extant, habendam esse disertis uerbis commemorat. Sed etiamsi haec quidem res satis apta mihi uidetur, tamen multa alia de politia ut exponantur desidero. Nam quo modo uerba *ὅπου τὸ τῶν μέσων ὑπερτείνει πλῆθος* sufficiant, cum iam in eis, quae de democratia et oligarchia paullo ante exposuit philosophus, de „quanto“ et „quali“ accuratius disseruerit, non uideo neque qua ratione quales sint illi *μέσοι* intelligo, cum „quale“ illud omnes illas uarias, quas antea

commemorabam, res contineat. Ut exemplis utar: quaeritur utrum modicarum diuitiarum an eruditionis an utrarumque sint participes, et, si sunt, qua ratione. Quod si quaesiuit Aristoteles, facile etiam, quibus hominibus ea reipublicae forma, quae uulgo aristocratia nominatur, sit aptissima, explicare potuit: id quod, si, quae de toto hoc argumento scripsit, sunt omnia nobis seruata, prorsus neglexit. Facile, inquam, explicare potuit, cum ex eis, quas persaepe iam de politia aristocratiaque protulerit, sententiis appareat, politiam aptissimam reipublicae formam esse illorum mediocriter locupletium frequentiae ac multitudini, quorum eruditio ac uirtus neque una omnium legibusque definita neque omnino satis sit exculta; aristocratiam, quorum omnium eruditio ac disciplina sit liberalior politiorque.

Quae cum ita sint, post uerba *διαιτητὴς δ' ο μέσος* complures excidisse sententias conicio, quam opinionem ipsius Aristotelis uerba comprobare uidentur, quae in libri VIII (uulgo VI) capite I p. 1317 a, 10—13 (§. 3) leguntur: *ποία μὲν οὖν δημοκρατία πρὸς ποίαν ἁρμόττει πόλιν, ὡσαύτως δὲ καὶ ποία τῶν ὀλιγαρχιῶν ποίῳ πλήθει, καὶ τῶν λοιπῶν δὲ πολιτειῶν τίς συμφέρει τίσιν, εἴρηται πρότερον.*

Progredientibus iam nobis ad subsequentia perspicuum erit nostris in exemplaribus nihil — nisi in extremo cap. XIII (10) uerba *διὰ τίνα μὲν οὖν κ. τ. λ.* p. 1297 b, 38 — addi, quod ad tertiam illam spectet capitis II quaestionem. Quod ut accuratius demonstrem, singulae, quae sequuntur, sententiae

accuratius considerandae sunt: p. 1297 a, 6 ὅσῳ δ' ἂν ἄμεινον — b., 38 διὰ τίνα μὲν οὖν (§. 4—10.)

„Quanto autem", ait Aristoteles, „melius politiae administratio mixta et temperata est (mixta potissimum ex democratiae et oligarchiae institutis legibusque), tanto est firmior et diuturnior. Vehementer autem errant multi etiam ex eis, qui reipublicae administrandae formas aristocraticas constituere uolunt, non in eo solum, quod plus tribuunt locupletibus, quam oportet, uerum etiam quod plebem fallunt .... quinque quidem res numero sunt, quas per speciem quandam honestam callide excogitant aduersus plebem . . . In democratiis uero alias machinas opponunt . . . Itaque perspicuum est, si quis uult iuste permiscere, cum illis haec in unum esse congreganda . . . Sic enim omnes reipublicae administrationis erunt participes, neque in alterius partis uenit potestatem respublica."

Nemo iam dubitabit, quin per omnes has sententias quaeratur de natura ortuque politiae; attamen anquirere sibi proposuerat Aristoteles: „quae reipublicae administrandae forma quibus et qualis qualibus expediat."

Pergit oratio p. 1297 b, 1 §. 8 uerbis δεῖ δὲ τὴν πολιτείαν κ. τ. λ., quorum sententia fere haec est: „Respublica quidem in politiis ab eis tantum administranda est, qui arma habent; census tamen magnitudo[19]) ita definienda, ut, qui ciuitatis honorumque

19) Buechelerus rectissime legendum esse censet: ἀλλὰ σκεψαμένους τὸ πόσον ἐπιβάλλει.

sunt participes, plures sint eis, qui non sunt participes." Et id quidem hoc loco a philosopho agitur ut doceat, ciuium, id est eorum, qui arma gestant, numerum tantum esse debere, ut et domi superent egentes et bello sua sponte sine egentium auxilio hostes deuincere possint. Satis patet e verbis sequentibus: 1. „Egentes enim" inquit „etiamsi honorum non sunt participes, quiescere quidem uolunt[20]), modo ne quis eos contumeliose uexet neue de re familiari quicquam detrahat. Sed hoc non facile est curatu, non enim semper contingit, ut sint ei humanitate politi, qui reipublicae administrandae sunt participes." 2. „Solent etiam egentes, ut primum bellum ortum est, esse tardiores nisi uictum quis suppeditet[21]).

In subsequentibus denique sententiis Aristoteles, ut solet, exemplis ex historia petitis hanc de politiae ciuibus quaestionem illustrat. Dubitari non potest, quin haec omnia minime sint referenda ad capitis XII (10) quaestionem[22]). Eadem uero si in locum

---

20) Fortasse legendum est: ἐθέλουσι μὲν γὰρ κ. τ. λ., cui μέν particulae quodammodo respondet ἀλλά particula, quae paullo post subsequitur.

21) Hanc sententiarum interpretationem Buechelero debeo.

22) Susemihlius, ni fallor, hanc rerum difficultatem primus uidit in Mus. Rhen. XXI, p. 564 sqq., ubi de me haec fere scripsit: „Anfangs geneigt diese ganze Partie vielmehr mit dem 11. Cap. zu verschmelzen, ward ich durch einen meiner Zuhörer, Ew. Boecker, darauf aufmerksam gemacht, dass sie vielmehr in den Kreis der Untersuchungen des 8. und 9. . . . hineingehören. Ein Versuch, sie dort unter zu bringen, soll hier nicht gemacht werden" etc.

aptiorem transferre conamur, tria potissimum consideranda sunt libri VI capita, VIII, IX, XI, (6, 7, 9) in quibus de politia disserit Aristoteles. Ac primum quidem in cap. VIII (6) de natura politiae, quam „μῖξιν“ uocat, ex democratia et oligarchia compositam, qualis sit et quomodo ab aristocratia discernatur explicat. Deinde in cap. IX (7), quomodo praeter democratiam et oligarchiam politia et ex ipsis quidem illis constituenda sit, exponit (τίνα τρόπον γίνεται παρὰ δημοκρατίαν καὶ ὀλιγαρχίαν ἡ καλουμένη πολιτεία.) In cap. XI (9) denique, quantum praestet politia ceteris reipublicae administrandae formis, si illam excipis omnium optimam nec non quae uulgo aristocratiae uocantur, et qua ratione sit plerisque ciuitatibus et plerisque hominibus forma optima, demonstrat.

Certis igitur subtilibusque uerbis ab ipso Aristotele sententiarum per capita illa significatur ordo. Quamobrem Buechelero, cum rectissime capitum XII et XIII parte illa eius quaestionis, quae est de constituenda politia, partem contineri me docuerit, in capitis IX (7) quendam locum aptiorem transferendam esse assentiar. Nonnullas sententias iam antea capiti IX (7) adscripseram, alias capiti VIII (6); sed et longum est et parui refert enarrare, quid recte uiderim, quid falso. Restat, ut qua uia Aristoteliam potuisse disputationem progredi sentiat Buechelerus, exponam.

In cap. IX (7), cum, quomodo politia constituatur, quaerat, hoc fere modo disserit Aristoteles:

„Politia praeter democratiam et oligarchiam ex

ipsarum institutis legibusque componitur. Sunt autem tres compositionis et permixtionis modi: primus, ut ambo illa sumantur, quae utraque reipublicae forma lege instituit, ueluti de rebus iudicandis; alter: ut medium instituatur eorum, uelut census, quo ciuibus ad comitia pateat aditus; tertius ut partim ex democratica partim ex oligarchica lege componatur politiae lex, uelut in magistratibus creandis." Sequuntur uerba ὁ μὲν οὖν τρόπος τῆς μίξεως οὗτος, §. 3. p. 1294 b, 13, quibus clausula imponitur priori parti huius quaestionis. His autem Buechelerus primo loco addit uerba: δεῖ δὲ τὴν πολιτείαν — ὑπέμενον τὸ ἄρχεσθαι (§. 8—10; p. 1297 b, 1—28); deinde haec: δεῖ δ' ἀεὶ τὸν νομοθέτην — τούτους (§. 3; p. 1296 b, 34—38); postremo quae et ipse iam hoc loco inserenda esse coniectaueram: ὅσῳ δ' ἂν ἄμεινον — τῶν ἑτέρων μόνον (§. 4—8; p. 1297 a, 6 – b, 1). Quae deinde excipiunt capitis IX uerba, quae restant τοῦ δ' εὖ μεμῖχθαι κ. τ. λ.

Quo facto sententiarum ordo hic est et aptissimus quidem:

„Permixtionis igitur modus hic est. Constare autem oportet politiam ciuitas tantum eis qui arma habent; census autem magnitudo ita definienda ut, qui ciuitatis honorumque sunt participes, plures sint eis, qui non sunt . . . . Quamquam aliquot politiarum respublica ciues habet non eos tantum qui arma gestant, sed etiam eos qui gestauere . . . . Apud ueteres propterea quod paucis constabat ciuibus respublica, neque multi ex-

tabant homines, qui medii essent inter diuites et pauperes, perferebatur optimatium imperium. Necesse autem est legislatorem in politia mediorum illorum hominum semper habere rationem, siue leges fert oligarchicas, siue democraticas. Quanto autem melius mixta et temperata est politiae administratio, tanto est firmior ac diuturnior . . . . Itaque perspicuum est, si quis uult recto temperamento uti, artificia et quae oligarchici et quae democratici generis sunt, in unum ei esse conflanda . . . . Sic enim omnes reipublicae administrandae erunt participes neque uenit in alterius partis potestatem respublica. Utrum uero bene sint permixtae in politia oligarchiae democratiaeque leges annon, apparebit, ubi eandem reipublicae administrandae formam et democratiam et oligarchiam nominare licebit“ etc.

Si quis sententias illas hoc ordine compositas attente perlegerit, assentietur sane Buechelero satis apte eas inter se contineri: mihi ampliora de hac re disserere hoc quidem loco non licet.

Interroganti uero, quonam modo tot sententiae tam peruerse in cap. XII et XIII irrepserint, nihil certi habeo, quod respondeam. Attamen hoc est uerisimillimum: ipsum Aristotelem omnes has particulas, quas in altera Politicorum recensione siue uberius tractare siue continenti expositionis ordini inserere sibi proposuerit, in margine hic illic adnotasse; posteros autem, qui ediderunt libros, cum nescirent, quid notis illis uoluisset scriptor, ineptis-

sime confusas in hunc, quem hodie tenent, locum contulisse, quem fortasse reuera mutilatum lacunosumue deprehenderant.

§. 12.

VII (V)[23]) c. 1. p. 1301 a, 20—25. (§. 1.)

Ἐκ τίνων δὲ μεταβάλλουσιν αἱ πολιτεῖαι καὶ πόσων καὶ ποίων, καὶ τίνες ἑκάστης πολιτείας φθοραί, καὶ ἐκ ποίων εἰς ποίας μάλιστα μεθίστανται, ἔτι δὲ σωτηρίαι τίνες καὶ κοινῇ καὶ χωρὶς ἑκάστης εἰσίν, ἔτι δὲ διὰ τίνων ἂν μάλιστα σώζοιτο τῶν πολιτειῶν ἑκάστη, σκεπτέον ἐφεξῆς τοῖς εἰρημένοις Giphanius, Schneiderus, Coraës[24]) uerba ἔτι δὲ διὰ τίνων — ἑκάστη uncis incluserunt; Stahrius interpretatione sua: „und weche Mittel sich wohl noch zur Aufrechthaltung jeder einzelnen Verfassung vorzugsweise eignen dürften,“ nihil esse mutandum ostendere conatus est. Equidem censeo Stahrium nihil ostendisse nisi his uerbis eadem significari atque quae uerbis ἔτι δὲ σωτηρίαι — εἰσίν.

Comparanda praeterea sunt cum his quae leguntur in libri VI (IV) cap. 2 p. 1289 b, 23—26 (§.5.): πειρατέον ἐπελθεῖν τίνες φθοραὶ καὶ τίνες σωτηρίαι τῶν πολιτειῶν καὶ κοινῇ καὶ χωρὶς ἑκάστης, καὶ διὰ

23) Assentior Hildenbrandio et Zellero, qui contra Spengelium librorum V et VI ordinem defenderunt, neque illorum argumenta a Spengelio satis refutata esse puto.

24) Quos secutus est Bekkerus in editione altera.

τίνας αἰτίας ταῦτα μάλιστα γίνεσθαι πέφυκεν, e quibus uiros illos doctos uerum uidisse satis opinor apparet.

§. 13.

VII (V) c. 1 p. 1301 b, 4 — 29 (§. 4—6.)

In libri VII cap. I inueniuntur difficultates quam maximae, quae num unquam plane tolli possint, ualde dubito. Ac primum quidem, quae aliis de eis uisa sunt, exponam, deinde quae mihi uidentur.

Ante uerba διὸ καὶ — διχῶς nonnulla excidisse suspicatus est primus Conringius, deinde Thurotus[25]), qui praeterea uerbis ἀρχαὶ μὲν οὖν alterum membrum δέ particula adnectendum deesse profert. Bojeseno[26]) uerba διὸ καὶ—πολιτείᾳ ταύτῃ certe parenthesis esse uidentur. Sed quanam de causa seditiones duas potissimum habeant rationes (διὸ καὶ αἱ μεταβολαὶ γίνονται διχῶς), ex eis, quae nostris in exemplaribus antecedunt, nullo modo cognoscitur. In his enim haec fere dixit Aristoteles: „duae potissimum reipublicae formae oriuntur, democratia et oligarchia, propterea quod omnes quidem in eo consentiunt, iustum esse in republica id quod ratione aliqua siue comparatione (κατ' ἀναλογίαν) est aequale (τὸ ἴσον), sed de eo dissident inter se, quid sit et qua ratione hoc aequale. Itaque de-

25) l. l. p. 80.

26) Bidrag til Fortolkningen af Aristoteles's Boger om Staten. Ander Deel. Kjöbenhavn 1845 p. 1.

mocratia oritur inde quod, qui una re, i. e. libertate, pares sunt, se omnino in ciuitate pares esse iudicant; oligarchia, quod, qui una re, i. e. re familiari opibusque, superiores sunt, se omnino inaequales esse putant. Quae cum ita sint, alteri ut omnium honorum pari modo sint participes, alteri, ut maiora in republica iura sibi reddantur, postulant. Inde fit, ut seditiones inter se commoueant. Qui uero uirtute excellunt ciues, etsi optimo iure, ut praeferantur ceteris, postulare possunt, tamen plerumque seditionem non excitant" etc. His ex sententiis uerba illa διὸ καὶ κ. τ. λ. intelligi non possunt. Quanam de causa, quaesiuerim, duo potissimum sunt seditionum genera, unum, si reipublicae administrandae formam oppugnant, alterum, si eandem quidem reipublicae formam manere uolunt, ipsi uero reipublicae administrationis compotes esse cupiunt? Equidem unum tantum genus sententiis illis approbatum esse iudico; nam qui seditionem excitant, quod aut omnium honorum pari modo participes esse aut ampliorem potestatem quam ceteri habere uolunt, ipsam rei publicae administrandae formam commutare coguntur.

Quamobrem aut exciderunt nonnulla post uerba ὅθεν στασιάζουσιν, aut uerba διὸ καὶ — πολιτείᾳ ταύτῃ falsum locum tenent.

Sed etiam in uerbis, quae sequuntur, insunt quaedam difficultates; leguntur enim haec:

πανταχοῦ γὰρ διὰ τὸ ἄνισον ἡ στάσις, οὗ μη[27]) *τοῖς ἀνίσοις ὑπάρχει ἀνάλογον. ἀΐδιος γὰρ βασιλεία ἄνισος, ἐὰν ᾖ ἐν ἴσοις· ὅλως γὰρ τό ἴσον ζητοῦντες στασιάζουσιν.*

Ac primum quidem uerba *πανταχοῦ γὰρ κ. τ. λ.* ad ea spectare profecto haud uidentur, quae antecedunt. Deinde offendor uerbis *ἀΐδιος γὰρ βασιλεία ἄνισος*, quibus sumi licet, de regno antea disseruisse philosophum. Stahrius sic interpretatur: „So ist auch ein lebenslängliches Königthum, wenn es unter Gleichen besteht, eine Ungleichheit;" legendum igitur esse censet pro *γάρ* particula *οἷον* siue *ὥσπερ*; sed num inter uerba *ἀΐδιος* et *βασιλεία* interponi possit *ὥσπερ* me nescire confiteor. Quod uero attinet ad priorem quam tetigi difficultatem, fieri posse ut tollatur e quaestione nostra XIV apparebit. Attamen omnes has sententiolas ita abruptas esse uidentur, ut e compluribus uariisque locis, ubi fortasse in margine adscriptae fuerunt, hoc loco conglutinatas esse suspicer.

§. 14.

VII (V) c. 3 p. 1303 b, 3—7 (c. 2 §. 11).

Aristoteles in cap. III, quae sint seditionum principia, quaerit: *τίνες ἀρχαὶ γίνονται τῶν πολιτικῶν ταραχῶν κ. τ. λ.* c. 2 §. 1 p. 1302 a, 21. Ac primum quidem de septem quibusdam causis disputat; addit

---

27) *οὗ μή* pro *οὐ μήν* legendum esse censet Schneiderus.

deinde de nonnullis aliis quaestionem, in his postremo de dissimilitudine gentium „στασιωτικὸν δὲ, ait, καὶ τὸ μὴ ὁμόφυλον, ἕως ἂν συμπνεύσῃ c. 2 §. 10, 1303 a, 25. Compluribus exemplis ex historia petitis demonstrat, omnes fere aut certe plurimas respublicas, quae inquilinos aut aduenas in ciuitatem receperint, seditionibus perturbatas esse. Deinde leguntur uerba: στασιάζουσι δ' ἐν μὲν ταῖς ὀλιγαρχίαις οἱ πολλοὶ ὡς ἀδικούμενοι, ὅτι οὐ μετέχουσι τῶν ἴσων, καθάπερ εἴρηται πρότερον, ἴσοι ὄντες, ἐν δὲ ταῖς δημοκρατίαις οἱ γνώριμοι, ὅτι μετέχουσι τῶν ἴσων οὐκ ἶσοι ὄντες. Quae cum nullo modo neque ad ea, quae antea disputantur, neque ad subsequentia uerba de locorum uarietate referri possint, ineptissimum locum tenere uidentur. Atque unus tantum locus, opinor, inuenitur aptior: p. 1301 b, 26 (c. 1 §. 6) ante uerba πανταχοῦ γὰρ κ. τ. λ., neque dubito, quin recte mihi Susemihlius ostenderit, uerbis illis capitis III huc tralatis eam quoque difficultatem tolli, quam in uerbis πανταχοῦ γὰρ inesse demonstrauimus.

§. 15.

VII (V) c. 2 p. 1302 a, 32—34 (§. 2).

In cap. II tres quaestiones se pertractaturum esse dicit Aristoteles, primam: πῶς ἔχοντες στασιάζουσι; alteram: τίνων ἕνεκεν (siue περὶ τίνων); tertiam: τίνες ἀρχαὶ (καὶ αἰτίαι) γίνονται τῶν πολιτικῶν ταραχῶν καὶ τῶν πρὸς ἀλλήλους στάσεων; De prima quaestione disserit usque ad p. 1302 a, 31; deinde de altera le-

guntur uerba: *περὶ ὧν δὲ στασιάζουσιν, ἐστὶ κέρδος καὶ τιμὴ καὶ τἀναντία τούτοις· καὶ γὰρ ἀτιμίαν φεύγοντες καὶ ζημίαν, ἢ ὑπὲρ αὑτῶν ἢ τῶν φίλων, στασιάζουσιν ἐν ταῖς πόλεσιν*, uehementerque miror ea nemini interpretum adhuc dubitationem iniecisse, cum mihi quidem ineptissima uideantur: *καὶ τἀναντία — πόλεσιν*. Quid? nonne Aristoteles in subsequentibus satis accurate uerba *περί τινων* et *ἔκ τινων* discernit? Confer c. 4 p. 1303 b, 17 (c. 3, §. 1): *γίνονται μὲν οὖν αἱ στάσεις οὐ περὶ μικρῶν, ἀλλ' ἐκ μικρῶν, στασιάζουσι δὲ περὶ μεγάλων*. Conferas quaeso, quae hoc ipso in capite II leguntur uerba (§. 3) p. 1302 a, 37: *ὧν* (i. e. *αἰτιῶν καὶ ἀρχῶν*) *δύο μέν ἐστι ταὐτὰ τοῖς εἰρημένοις, ἀλλ' οὐχ ὡσαύτως· διὰ κέρδος γὰρ καὶ διὰ τιμὴν παροξύνονται πρὸς ἀλλήλους οὐχ ἵνα κτήσωνται σφίσιν αὐτοῖς, ὥσπερ εἴρηται πρότερον, ἀλλ' ἑτέρους ὁρῶντες τοὺς μὲν δικαίως τοὺς δ' ἀδίκως πλεονεκτοῦντας τούτων*. Satis profecto perspicuum est, quaerere, *τίνων ἕνεκεν* siue *περὶ τίνων στασιάζουσιν*; idem esse, ac si quaeras: quid sibi comparaturi seditiones excitent homines? Ignominia autem et multa siue damnum, quae hoc loco lucro et honori sunt contraria, occasionem praebent et tamquam principium seditionis; quapropter ad tertiam spectant quaestionem, non uero ad alteram: id quod ex eis quoque satis apparet, quae Aristoteles cum de honore lucroque tum de timore, qua ratione saepenumero sint seditionum principia, paulo post exponit. Leguntur enim haec de lucro: *ἡ δὲ πλεονεξία γίνεται*

ονὲ μὲν ἀπὸ τῶν ἰδίων, ὁτὲ δὲ ἀπό τῶν κοινῶν. deinde haec de honore: καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀτιμαζόμενοι καὶ ἄλλους ὁρῶντες τιμωμένους στασιάζουσιν· ταῦτα δὲ ἀδίκως μὲν γίνεται, ὅταν παρὰ τὴν ἀξίαν ἢ τιμῶνταί τινες ἢ ἀτιμάζωνται, δικαίως δέ, ὅταν κατὰ τὴν ἀξίαν, c. 2 §. 4 Schn., c. 3 p. 1302 b, 9 sqq. Permagni autem sunt momenti uerba, quae de timore leguntur: διὰ δὲ φόβον στασιάζουσιν οἵ τε ἠδικηκότες, δεδιότες μὴ δῶσι δίκην, καὶ οἱ μέλλοντες ἀδικεῖσθαι, βουλόμενοι φθάσαι πρὶν ἀδικηθῆναι κ. τ. λ. p. 1302 b, 22 sqq. c. 2 §. 5.

Quae cum ita sint, non solum interpolata esse uerba illa: καὶ τἀναντία — πόλεσιν suspicor, sed etiam excidisse mihi uidentur compluria, quae de lucro et honore scripserit Aristoteles, nam ipsius uerba: οὐχ ἵνα κτήσωνται σφίσιν αὐτοῖς, ὥςπερ εἴρηται πρότερον, opinionem meam confirmare uidentur.

§. 16.

VII (V) c. 4 p. 1304 a, 17 — b, 5.

Aristoteles in cap. II seditionum origines et causas nonnullas enumerauerat, de quibus in cap. III deinceps disputat ita ut hac quaestione confecta in cap. IV (3) ad aliam de aliis quibusdam causis quaestionem transeat: Γίνονται μὲν οὖν αἱ στάσεις οὐ περὶ μικρῶν ἀλλ' ἐκ μικρῶν, στασιάζουσι δὲ περὶ μεγάλων. μάλιστα δὲ καὶ αἱ μικραὶ (i. e. ἀρχαὶ aut διαστάσεις) ἰσχύουσιν, ὅταν ἐν τοῖς κυρίοις γένωνται κ. τ. λ.

Disserit deinde usque ad uerba *μεταβάλλουσι δὲ καί* p. 1304 a, 17 (c. 3 §. 5) de discordiis eorum, qui in ciuitate summis opibus ualent, multisque exemplis seditiones ex optimatium dissidiis saepenumero exortas esse docet. Tum, quae sequuntur usque ad p. 1304 b, 5, (c. 3 §. 7), cum his nequaquam consentiunt, nam ad ea reuertitur Aristoteles, quae in praecedente capite exposuit. Etenim mutari reipublicae formam ostendit, si qua ciuitatis pars uel praecipuam uirtutis opinionem adepta uel uiribus opibusque aucta sit, siue, quae inter se contrariae esse partes uideantur, uelut diuites ac multitudo, adaequentur. Quapropter uerba haec *μεταβάλλουσι δὲ καὶ — πρὸς πόλλους* falsum locum tenere suspicor. Neque difficile est, quem in locum aptiorem traicienda sint, cognoscere. Disputat enim de incremento alicuius ciuitatis partis, quod uocat *αὔξησιν τὴν παρὰ τὸ ἀνάλογον*, in cap. III p. 1302 b, 33 — 1303 a, 13, ita tamen, ut, si omnia recte se habeant, inchoatam hoc loco quaestionem Aristotelem reliquisse appareat. Leguntur enim ibi uerba:

ὥσπερ γὰρ σῶμα ἐκ μερῶν σύγκειται καὶ δεῖ αὐξάνεσθαι ἀνάλογον, ἵνα μένῃ συμμετρία, εἰ δὲ μή, φθείρεται, ὅταν ὁ μὲν ποὺς τεττάρων πηχῶν ᾖ, το δ' ἄλλο σῶμα δυοῖν σπιθαμαῖν, ἐνίοτε δὲ κἂν εἰς ἄλλου ζώου μεταβάλλοι μορφήν, εἰ μὴ μόνον κατά τὸ ποσόν ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸ ποιὸν αὐξάνοιτο παρὰ τό ἀνάλογον, οὕτω καὶ πόλις σύγκειται ἐκ μερῶν κ. τ. λ.
Deinde uero, si his uocabulis uti licet, de quantitate exempla afferuntur, de qualitate desunt. Sed etiam

de incremento quod est secundum multitudinem (*κατὰ τὸ πλῆθος*) nonnihil requiritur, si quidem, ut reipublicae forma commutetur, non solum contingere potest, tum cum una aliqua ciuitatis pars nimis siue crescit siue debilitatur ita, ut aut reliquas partes superet aut ab illis superetur, sed etiam cum partes inter se contrariae alterius incremento adaequantur. Haec ipsa autem, quae desiderantur, sententiis illis capitis IV continentur, quibus igitur post uerbum *δυναστείας* p. 1303 a, 13 traiectis sententiarum ordo plane restitutus est ita, ut etiam in capite IV uerba *καθόλου μὲν οὖν περὶ πάσας τὰς πολιτείας κ. τ. λ.* uerba quae nunc antecedunt, *ὡς ἐπηρεασθείς* rectissime sequantur.

§. 17.

VIII (VI) c. 3 p. 1318 a, 11 — 18.

Ibi quae leguntur uerba:

Τὸ δὲ μετὰ τοῦτο ἀπορεῖται πῶς ἕξουσι τὸ ἴσον, πότερον δεῖ τὰ τιμήματα διελεῖν χιλίοις τὰ τῶν πεντακοσίων καὶ τοὺς χιλίους ἴσον δύνασθαι τοῖς πεντακοσίοις, ἢ οὐχ οὕτω δεῖ τιθέναι τὴν κατὰ τοῦτο ἰσότητα, ἀλλὰ διελεῖν μὲν οὕτως, ἔπειτα ἐκ τῶν πεντακοσίων ἴσους λαβόντα καὶ ἐκ τῶν χιλίων, τούτους κυρίους εἶναι τῶν αἱρέσεων[28]) *καὶ τῶν δικαστηρίων. πότερον οὖν αὕτη ἡ πολιτεία δικαιοτάτη κατὰ τὸ δημοτικὸν δίκαιον, ἢ μᾶλλον ἡ κατὰ τὸ πλῆθος; φασὶ γὰρ οἱ δημοτικοὶ*

---

28) *αἱρέσεων* pro *διαιρέσεων* scripserunt Schneiderus, Coraës, Goettlingius, Bekkerus in editione altera.

τοῦτο δίκαιον, ὅτι ἂν δόξῃ τοῖς πλείοσιν, οἱ δ' ὀλιγαρχικοὶ ὅτι ἂν δόξῃ πλείονι οὐσίᾳ· κατὰ πλῆθος γὰρ οὐσίας φασὶ κρίνεσθαι δεῖν.
ea me non intelligere confiteor, cum in sententia priore uerbis *πότερον* — *ἢ* non duo aequalitatis genera diuersa discernantur, sed unius eiusdem generis diuersi modi; neque dubitari potest, quin plane idem efficiatur, toto populo in totidem et pauperum et diuitum ciuium classes distributo, siue ipsae classes magistratus creant iudiciisque praesunt, siue eorum par numerus, qui ex eisdem classibus eligitur. Eiusdem rationis est dupplex efficiendi modus. Attamen deinde loquitur Aristoteles de duobus plane diuersis generibus, de aequalitate, quae ciuium multitudine nititur et suam cuique tribuit in republica et parem quidem potestatem, et de ea aequalitate, quae ad ciuium spectat rem familiarem. Quae uero sit illa aequalitas, quam uocat *ἰσότητα κατὰ τὸ πλῆθος* siue *κατ' ἀριθμόν*, antea satis plane exposuit, conferenda enim sunt, quae leguntur p. 1317 b, 3—7 (c. 1. §. 6):

καὶ γὰρ τὸ δίκαιον τὸ δημοτικὸν τὸ ἴσον ἔχειν ἐστὶ κατ' ἀριθμὸν ἀλλὰ μὴ κατ' ἀξίαν, τούτου δ' ὄντος τοῦ δικαίου τὸ πλῆθος ἀναγκαῖον εἶναι κύριον, καὶ ὅτι ἂν δόξῃ τοῖς πλείοσι τοῦτ' εἶναι καὶ τέλος, καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ δίκαιον· φασὶ γὰρ δεῖν ἴσον ἔχειν ἕκαστον τῶν πολιτῶν. deinde p. 1318 a, 3 — 8 (c. 1, §. 10) uerba:

συμβαίνει δ' ἐκ τοῦ δικαίου τοῦ ὁμολογουμένου εἶναι δημοκρατικοῦ (τοῦτο δ' ἐστι τὸ ἴσον ἔχειν ἅπαν-

τας κατ' ἀριϑμόν) ἡ μάλιστ' εἶναι δοκοῦσα δημοκρατία καὶ δῆμος· ἴσον γὰρ τὸ μηϑὲν μᾶλλον ἄρχειν τοὺς εὐπόρους ἢ τοὺς ἀπόρους [29]*), μηδὲν κυρίους εἶναι μόνους ἀλλὰ πάντας ἐξ ἴσου κατ' ἀριϑμόν.* Quapropter si uerba *πότερον δεῖ τά τιμήματα — πεντακοσίοις* nullo modo ad aequalitatem quae est secundum multitudinem referri possunt, primum uerba *ἢ οὐχ οὕτω — δικαστηρίων* parenthesi includenda esse uidentur ita, ut hoc fere modo intelligantur: . . . . und sollen dann die Tausend so viel politische Macht haben, als die Fünfhundert oder (vielleicht) muss man nicht so gerade die Gleichheit nach diesem Principe gesetzlich normiren, sondern die Eintheilung zwar in dieser Weise machen, dann aber aus den Fünfhundert eine gleiche Zahl herauswählen wie aus den Tausend, und diese müssen dann die Wahl der Beamten und die Gerichte in Händen haben). Tum uero aut desunt ante *τὰ τιμήματα* p. 1318a, 12 haec fere uerba: *κατὰ τὸ πλῆϑος ἢ δεῖ* aut uerbis subsequentibus *πότερον οὖν αὕτη κ. τ. λ.* prius interrogationis membrum repetitur ita, ut interpungendum sit:

Τὸ δὲ μετὰ τοῦτο . . . . . τὸ ἴσον, πότερον δεῖ . . . . . πεντακοσίοις (ἢ οὐχ οὕτω — δικαστηρίων)· πότερον οὖν αὕτη ἡ πολιτεία δικαιοτάτη κ. τ. λ.

Eiusmodi anacoluthiae exempla haud raro in-

---

29) *τοὺς εὐπόρους ἢ τοὺς ἀπόρους* pro *τοὺς ἀπόρους ἢ τοὺς εὐπόρους* legendum esse censent Aretino praeeunte Schneiderus, Coraës, Bekkerus in editione altera.

ueniuntur, quapropter mihi quidem haec membrorum distinctio uerisimillima esse totius loci restitutio uidetur.

VITA.

Natus sum Ewaldus Boecker Solingii huius saeculi anno quadragesimo quarto, patre Friderico Guilelmo, matre Henrietta e gente van Hees, quos adhuc uiuentes pio gratoque animo ueneror. Fidei addictus sum euangelicae. Cum primis literarum elementis imbutus essem, anno huius saeculi quinquagesimo quarto pater meus cum familia Coloniam Agrippinam transmigrauit, ubi per annos octo gymnasium illud, quod a rege augustissimo Friderico Guilelmo III nomen duxit, frequentabam. Autumno anni MDCCCLXII maturitatis testimonio instructus Bonnae in ciuium academicorum numerum receptus sum studiis philologicis operam daturus. Qua in uniuersitate literarum audiebam per duo semestria professores illustrissimos Fr. Ritschelium, Ottonem Jahnum, Leopoldum Schmidtium, Springerum, Monnardum alios. Deinde Berolinum me contuli, ubi illustrissimorum uirorum Boeckhii, Hauptii, Trendelenburgi scholis operam dabam per unum semestre. Tum uitae necessitate coactus, ne carissimo patri diutius causa sumptuum essem, Geisenhemii Nassouiae oppido praeceptoris domestici munus suscepi. Unde Gryphiswaldiam profectus per haec qnattuor semestria et lectionibus uirorum illustrissimorum Schoemanni, Useneri, Susemihlii, Hoeferi, Georgii et seminarii philologici exercitationibus interfui. Uiris his omnibus, imprimis Susemihlio, qui me ad haec Politicorum studia incitauit, gratias ago quam possum maximas.

THESES.

I.

Aristophanes consilium, quo emendaret Atheniensium mores, nullum in comoediis suis secutus est.

II.

Si omnino quidquam statuendum erit de urbis Romae origine, probabilior uidetur esse hac de re Mommseni quam Niebuhri sententia.

III.

Aristot. Pol. III. 11, p. 1281 b, 28 legendum est: „μηδεμιῶν ἀρχῶν" *pro* „μηδὲ μετέχειν."

IV.

In Plauti Amphitruone post actum IV compluria exciderunt.